

'PANORMITA'

ELEGIAE VARIAE (317 vers)

ANTONIO BECCADELLI

P1_01 v.1 Qui sine labe meam maculasti carmine vitam
 2 si legis hoc carmen, carmine liber ero ;
 3 da, precor, intentas nostris sermonibus aures,
 4 da faciles animos, corda benigna mihi.
 5 Musa Syracusio cantu si laeserit hostes,
 6 juro tibi nullum crimen inesse sibi.
 7 Causa sui justa est, justissima sumpsimus arma
 8 justus et armavit corpora nostra dolor.
 9 Nec mihi coepta est lis (qua multum) irritor in armis
 10 inque caput nostrum mille ruere manus ;
 11 mille sagittarunt durae mea terga sagittae
 12 obsiditque meam gens inimica domum.
 13 Undique erant hostes, clamor resonabat in auras
 14 vix poteram clausa liber abire domo.
 15 Quid facerem ? Dic ipse meos qui crimine versus,
 16 inficis et nostris hostibus addis opem.
 17 Vin patiar nostras, everti funditus aedes ?
 18 Hostibus ipse meis vin reserare fores ?
 19 Vin patiar nostros violari turpiter agros,
 20 vin sine caede meam presserit hostis humum ?
 21 Opto ego sim potius rapidis lacerandus ab ursis,
 22 viscera nostra prius torva leaena voret :
 23 opto prius lanient corpus sine fine volucres,
 24 quam tantum tantum dedecus ipse feram.
 25 Juppiter in patrem sumpsit crudeliter arma,
 26 fertur ob hoc Latiis is latuisse jugis.
 27 Mutua Thebani senserunt vulnera fratres,
 28 hincque subit Stygias alter et alter aquas.
 29 Sic furor armavit geminas in caede sorores,
 30 saeva parens puerum vulnere truncat Itym.
 31 Ergo ego perpetiar vilem sine pectore turbam
 32 quae mihi stat nullo sanguinis acta gradu ?
 33 Non patiar : stat firma animo sententia mortem
 34 intrepidum assiduos ante subire dies.
 35 Hi referunt vitam similem sermonibus esse,
 36 hos vincam falso clarius ore loqui.
 37 Excidium Trojae quamvis depinxit Homerus,
 38 aequavit numquam Pergama magna solo ?
 39 Musa canit pecudes, pecudes nec pavit in agris,
 40 Virgilii totos non moritura dies ;
 41 si docuit curvis tellurem scindere aratris,

42 non tamen attrivit curvus arator humum.
 43 Si cecinit pugnas, non pugnam sensit in armis ;
 44 huic sua militia grata poesis erat,
 45 si tuba Lucani cantarit Caesaris arma,
 46 belli acies numquam duxit in arma manus.
 47 Naso licet varias variarit carmine formas
 48 dulcisono vati pristina forma fuit.
 49 Si licet obscaenos vexarim carmine mores,
 50 non tamen obscaena et vita putanda mea est.
 51 His super exemplis stabili specularere mente,
 52 quisquis eris nostrum qui lacerabis opus.
 53 Post modo desistes convicia tanta referre,
 54 post licet errorem confiteare tuum.

P1_02 v.1 Si bene commemini, scripsi tibi, Cosme, libellum,
 2 cui turpis titulus Hermaphroditus erat.
 3 Hic faeces varias Veneris moresque profanos
 4 quos natura fugit, me docuisse piget.
 5 Immortalem mihi sperabam surgere nomen,
 6 si possem Vestae frangere templa deae.
 7 Te quoque, quem sanctum coluit Florentia civem,
 8 non puduit sociis commemorare meis ;
 9 sic quoque non Rhodi famam nomenque celebre
 10 Parnassi ; at corvo non maculatur olor.
 11 Jam tantis si indigna viris cecinisse nefandum est
 12 parcite : proh noxam conspicio ipse meam.

AD CARDINALEM URSINUM

P1_03 v.1 Si qua manent altae nobis vestigia Romae,
 2 hac procerum priscus cessit ab urbe vigor,
 3 Hannibal aut Latiis si nunc pellendus ab oris,
 4 aut Pyrrho aut Gallis bella gerenda forent.
 5 Tu effigiem patrum retines, Jordane, priorum
 6 qui possis Romam solvere ab hoste tuam.
 7 Nam quantum Arctoo fulget Cynosura sub axe,
 8 tantum Ursina domus vivet in orbe potens.
 9 Sed quorsum hae laudes ? Non haec mea munia sunt
 10 tollere versiculis fortia facta meis.
 11 Haec mea scaena fuit, fuit haec mea tota Minerva
 12 et Rhodum et sanctos dilacerare viros.

ANTONIO CREMONAE

P1_04 v.1 Italides inter formosior una puellas,
 2 Marchia, vel Phoebos vel Jove digna viro,
 3 tu superas Helenem specie, tu vincis Elisam,
 4 vincis et Hermionem, vincis et Hypsipylum,
 5 tu Dianam oculis aequas atque ore Dionem,
 6 deliciis Carites blandiciisque refers.
 7 Tu digno incessu Juno regina videris,
 8 sunt tibi, quas deceat Pallada habere, manus ;

9 tu similes Thetidi plantas, tu denique quicquid
 10 Dianae est in toto corpore laudis habes.
 11 O Dea vera Jovis certa es de sanguine nata,
 12 o dea, mortalem, aspice, me crucias !
 13 Respice, mortales etiam placuere deabus ;
 14 Tithonus roseam strinxit amore deam
 15 Endymion Phoeben torsit, Venus arsit Adonin.
 16 Praeterea Anchisam fertur amasse Phrygem.
 17 Uror et ardentes carpit mea flamma medullas,
 18 uror ! Io, placidam fer dea mitis opem.

AD MAGISTRUM ANTONIUM CAMERTINENSEM

P1_05 v.1 Antonium peramat Senensis Taura Camertem,
 2 alter in alterius pectore semper inest.

IUDICIUM DE EXUNDATIONE TIBERIS

P1_06 v.1 Albula quod tumeat spretoque vagetur ubique
 2 limite et urbanos depopuletur agros,
 3 quod natet insuetus lepus et quod mullus in herba
 4 reptet, amens credit Martia turba jocum.
 5 Veridici vatis carmen fatale memento,
 6 indicat hoc rerum, Roma superba, vices.

IN STATUAM STATI

P1_07 v.1 Qui cecinit primo Thebas, mox orsus Achillem
 2 occidit, hac colitur Staius in statua.
 3 Hunc genuit tali gavisia Neapolis ortu,
 4 ipsa Tolosa licet blacteret esse suum.
 5 Quod si vana suum contendat Gallia vatem,
 6 silvarum relegas, candide lector, opus.
 7 Haec eadem peperit Stellam fecunda poetam,
 8 ne sit in hoc uno splendida Parthenope.

AD DUCISSAM CALABRIAE

P1_08 v.1 Vidit ut Hippolytam, contraxit lumina Titan,
 2 majorem forma fassus adesse deam.
 3 Non est ut timeas ; radios, pater alme, resolve :
 4 ista colit terra, tu, Phoebe, cole polos.

EPITAPHIUM BAPTISTAE STUDENTIS IUVENIS

P1_09 v.1 Hic lapis aesculeos cineres et membra coerces
 2 Baptistae, tumulo qui jacet exiguo.
 3 Dum puer insudat studiis, juvenilibus annis
 4 solvitur, ac votis fallitur ipse suis.
 5 Spargite humum, juvenes, lacrimisque rorate sepulcrum
 6 ut cineri atque umbrae terra sit ipsa levis.

EPITAPHION MINNICI MELLIS

P1_10 v.1 Silvicolae Fauni stirps aurea, Minnicus, urna
 2 conditur hac, stirps est ipsa datura deos.
 3 Urnam melle diu multi videre fluentem ;
 4 hinc ejus suboles nomina Mellis habet.

EPITAPHION LUCIAE

P1_11 v.1 Sfortiadum genitrix jacet hoc Lucia sepulcro
 2 Alcmena Alciden edidit ista parem.

EPITAPHIUM

P1_12 v.1 Non decuit templo conditum putre cadaver,
 2 propterea hic extra lucida claustra colo.
 3 Hic ubi perpetuos inspirat laurus odores,
 4 candidulos flores citreaque arbor habet.

HYLAS PRATENSIS

P1_13 v.1 Musa mihi vocem dederat, Cyllenius artem,
 2 Juppiter ingenium, magnus Apollo chelyn.
 3 Tuscia me genuit, teneram Phanetida lusi.
 4 Dux Ligurum rapuit. Hoc ego claudor, Hylas.

EPITAPHION IO. PETRI LUCHENSIS DOCTISSIMI

P1_14 v.1 Qui decus Italiae fueram lumenque Latinis,
 2 ecce brevis nostra jam premit ossa lapis.
 3 Ingenium Pallas dederat, Cyllenius artem,
 4 eloquium Musae, pulcher Apollo lyram.
 5 Flevistis Nymphae, flevistis fata sorores
 6 jam Petri nostri sic requiescat humi.
 7 Ingenium cui Musa dedit, quem pulcher Apollo
 8 donavit calamis, clauditur hoc tumulo.

P1_15 v.1 Ah decus Italiae, radians ah stella triumphis,
 2 ah pater armorum, parvo es, hoc marmore clausus,
 3 atque datum est superis maestas sic volvere Parcas ;
 4 esse animis potuit tanta ex caelestibus ira ?
 5 Ausus eras sacro solus depellere regno
 6 qui caeleste forum totque usu ceperat annis,
 7 ipse etiam solus caelestia regna tegebas,
 8 quae direpta forent unus si vergeret arma
 9 nec munita satis remanent post fata sepulti.
 10 Juppiter inque sui convertit pectora dextram,
 11 quando virum cubuisse sinit tot viribus amplum.

12 Bellorum o socii, lacrimosos fundite fletus ;
 13 fundite, jamdudum docuit vos arma, Quirites.
 14 Surgite, Pierides omnes, et numina surgant.
 15 Omnia magnanimi, excutiant in funere palmas,
 16 et qualem Phaetonta suum gemuere sorores.
 17 Arma togae cedant : peditum sint arma ligones,
 18 et comites aratro belli pro semine sulcos
 19 scindant ; Ausonios discant quoque adire juvencos ;
 20 sic scuta et galeae radiant in Palladis arce
 21 ipseque cornigerens ad nulla proelia rumpat,
 22 hastaque nec clipeo vibret transmissa lacertis,
 23 cum tumidis sonipes mutatque hinnitibus iras.
 24 Nec primus pilus ferat alta insignia turbis
 25 ergone supremo potuit Mars ipse cruentus
 26 jam fato sentire ducis sua numina terris
 27 corruere imperium totumque a culmine lapsum ?
 28 Post obitum magni casum sua templa minantur,
 29 deficient subito Martisque horrenda cupido,
 30 deficit orbe suus dux invictissimus armis.
 31 At qui vipereo solium tenet altus in orbe,
 32 per quem tota tremet tremuitque Europea tellus,
 33 non dolet aut lacrimas fundit post funera magni ?
 34 Nam qui tantus amor potuit sine crimine cerni
 35 quantum vipereo magnusque gerebat honori ?
 36 Ah, modo quid faciet ? Sceptri cui numina cedet ?
 37 Armorumque acies cui nunc mandabit in aevo ?
 38 Qui se sic poterit fidus vel regna tueri ?
 39 Sed de Aragonia surgat modo sacra potestas
 40 flebilis ac gelido nec temperet ora sepulto,
 41 per quem jam potuit Neaplis summittere regnum,
 42 quod numquam galeis valuit superare cruentis.
 43 Sfortia Franciscus veniat post ordine maestus,
 44 dum sua sceptra tenet latissima, nulla tenere
 45 aut moderata satis, tantumque decentia sorti ;
 46 neque Ligae sic prompta manus nec copia cornu
 47 partibus Hesperiae magnum nisi viderit hostem.
 48 Atque superba domus geminis renovata columnis,
 49 armipotens ducis doleat Malatestia fatum.
 50 Terrens atque favens magnus tamen instruit armis.
 51 Magnipotens Ursina domus jam parce pudori :
 52 es virtute viri sublimibus aucta trophaeis
 53 armigerens humana domus modo prole refulgens
 54 jam de Manfredis funestis cede querellis
 55 cumque Imolae sceptrum bene scis qui contulit auctor
 56 altaque progenies quam Mantua sustulit almam
 57 advenias tibi castra salus diversa fugabat.
 58 Estensis pomposa domus tranquilla quiete
 59 hanc requiem dignosce, velis fore dona sepulti
 60 deque Ordelifis lugubria tollite signa
 61 sedibus a patriis pulsosque refixit in illis.
 62 Te Camarini tumulo vocat aula deorum.
 63 O nova progenies gratam te prepara functo
 64 et Montis Feretri quae sit clarissima proles
 65 convenias magnumque patrem tenuere parentes,
 66 nuncque superba potes tellus Perusina dolores
 67 ferre animo ? Perdis qui te decorabat in aevo

68 neque etiam Pisae fugiantque cadavera magni,
69 una salus miseris fuerat jam vita sepulti ;
70 Luca quoque et Senae funesta insignia tollant.
71 Cumque opus est ferro, jam defendebat et armis
72 denique Bracenses doleant et Sfortia tellus ;
73 utraque belligeris pars est orbata trophaeis.
74 Quid referam multos tentos in bella triumphos ?
75 Quid probitate viri per tot victricia campos
76 bella feram, totum cum sit jam fama per orbem ?
77 Valtellinae cupis vel Pergama discere bella ?
78 Hostibus adversis cunctis tentoria ruptis
79 irruit et Veneti magnum tremuere potentem.
80 Accedantque Padi strages et vulnera belli.
81 Quantas magnanimus superavit gurgite puppes,
82 dum Carmagnolam Venetosque fugavit et hostes !
83 Quid Lucana feram victricia signa ? Quis urbem
84 ergo illam obsessamque armato milite demit ?
85 Dum vir Caesareus medios directus in hostes
86 strinxerat in latus ruptos miserosque fugavit
87 Imola dum septem belli tibi tradidit arces,
88 non taceasque duces captisque hostilibus armis
89 Brixiaque poteras graviora pericula ferre ?
90 Dum voluit magnus ruptis jam moenibus urbem.
91 Et pacata sua longa cum pace quietis
92 non vetuit magnum soliumque intrare Verona.
93 Alma legum nutrix referatque Bononia laudes
94 Imola Forlivium magnus quas irruit urbes
95 atque Ravenna simul templis veneranda vetustis ;
96 una diesque tulit cunctis memorata per orbem
97 Genua dives opum tellusque superba carinis,
98 quos tulerit magna Tuscana experta labores,
99 et populosa potens titulos Florentia laudis.
100 Alta sub Astraeo solio ferat, arma tenentem
101 non alium timuitque ducem qui verteret urbem.
102 Alme pater mundi, quis te, beatissime pastor,
103 Romanamque urbem duxitque in limina Petri ?
104 Cetera quid referam meritis praeconia dignis ?
105 Arma virum tremuere ; duces populosque subactos
106 innumerosque cano, bellorum maxima merces.
107 Laudibus aethereis meruit fere sceptrata tonantis ;
108 stat titulus probitasque viri regalibus altis,
109 etiam magnanimus vicecomes munere fertur,
110 atque superba virum genuit Perusia tellus
111 qui Nicolaus erat Picininus in orbe vocatus.
112 Corporis exigui magnus tamen exstitit armis.
113 Hanc animam superi teneant, lapis ossa sepulcri.
114 Haec ego composui Sicalae telluris alumnus
115 Antonius doctorque legum pro laude sepulti.

ELEGIA DE CASEO

P2_01 v.1 Silva Placentinas inter densissima valles
 2 tangit arenosi littora curva Padi ;
 3 forte viret juxta florenti gramine pratum,
 4 mille petunt illic pabula grata boves,
 5 hirsutaeque solent illic errare capellae,
 6 nec non lanigerae quaerere gramen oves ;
 7 silvestres tenui canna culmoque palustri
 8 pastores humilem composuere casam.
 9 Hic ego de multis emisso lacte juvencis
 10 caseus in densum comprimor arte globum ;
 11 inde ubi sum manibus latum calcatus in orbem,
 12 perstringit tenerum lignea zona latus ;
 13 et ne confodiant furtim mea pectora vermes,
 14 me tegit aequoreo rustica turba sale ;
 15 neve nimis capiam lignosum molis odorem,
 16 sedula me volvit atque revolvit anus ;
 17 nec dum nostra duos aetas compleverat annos,
 18 aequavit currus cum mea forma rotas.
 19 Me vix impositum tergo portasset asellus,
 20 pulsasset forsitan pondere pressus humum !
 21 Tandem me cupidus venalem pastor in urbem
 22 detulit, in medio constituitque foro ;
 23 in me convertunt oculos juvenesque senesque
 24 et me certatim garrula turba petit :
 25 pinguis erat croceoque cutis spectanda colore,
 26 implebam totum lactis odore forum.
 27 Me videt interea spectatque Azanelus et optat.
 28 Argentique dato pondere solus emit ;
 29 inque lares tergo sublatum mittit equino
 30 laetus et in thalamo collocat ille suo ;
 31 saevaque ne rapidi faciant mihi vulnera mures,
 32 alligat ad summam fune tenente trabem ;
 33 neve nimis durus constringeret ilia cortex
 34 ungebat liquido terque quaterque oleo.
 35 Ah quotiens fixis dum me conspectat ocellis,
 36 o magno, dixit, munera digna duce !
 37 Heu heu, me miserum crudelia fata manebant,
 38 nec potuit vitae consuluisse meae.
 39 Nam dum forte abiit foribus male cautus apertis,
 40 irruit in vacuos impia turba lares,
 41 succisoque trahit pendentem saeva rudente,
 42 nec pudet ex alta praecipitare trabe ;
 43 vixque ruens duram concusso corpore terram
 44 contigeram, ferro cum mea membra petit,
 45 exanimesque artus in plurima frustra secantur,
 46 sicque superjecta transferor inde toga.
 47 Non mea marmoreo componunt membra sepulchro
 48 concava nec cineres contegit urna meos ;
 49 alter sed calidas tritum me mittit in offas,
 50 ingerit et pingues alter in arterias ;
 51 alter et ardenti liquefactum decoquit igne,
 52 et tenuis tosti crustula panis habet.
 53 Pastillus sine me digitis productus aduncis
 54 nec tereti baculo lagana tensa placent.

55 Quid referam quod nunc rabido me dente lacessant,
56 mille modis miserum turba gulosa vorat ?
57 Plange meos casus jam jamque, Azanele, caveto
58 incustoditas deseruisse Lares !